RUDOLFI BORGHESII JOACHIMI FILII EPISTOLA AD RUDOLFUM CAPELLUM, DE...

Joachimus Borghesius

Digitized by Google

Digitized by Google

BORGH
1064-11
Digitized by Google

X.
BORGH.
1064. 11
Digitized by Google

1064-11
AI-1

Rudolfi Borgheſii Joachimi Filii

EPISTOLA

ad

Rudolfum Capellum,

de

Manuſcriptis *à Joachimo Borgheſio* Viro Clariſſimo Patre Suo Hæredibus relictis, ante aliquot menſes ſcripta, prodit

HAMBURGI,

Typis GEORGII REBENLINI, Gymnaſii Typographi.
A. C. 1683.

1064. 11

S. P.

1. PArens meus V. Cl. JOACHIMUS BORGHESIUS Eloquentiæ Romanæ & Matheſeos in Academiâ Provinciali Groningenſi atque Omlandicâ Profeſſor Publicus Ordinarius, cum animadverteret, ſe à Parente ſuo Avo meo Viro Literatiſſimo, deſtinari Profeſſioni Antiquitatis, Eloquentiæ & Politices, aliive affini, nihil prius ſibi agendum putavit, poſtquam ad ſeveriora ſtudia admiſſus fuit, quam ut Adverſaria, Locos vocant, (communes dicam an proprios?) Electa quoque & Excerpta ex Auctoribus lectis & relectis, tanquam memoriæ ſubſidia in futuros uſus ſeponeret.

2. Experiendo autem didicit, nihil æquè hoc utile inſtitutum morari, quam nimis religioſam titulorum conquiſitionem, & ex præſcripto multorum, qui de Studiis inſtituendis & Locis colligendis præceperant, diſpoſitionem: Excerptorum quoque, vel ſecundum artium & diſciplinarum ſeriem, vel ſecundum prædicamenta & topicam, nimis ſubtilem ordinem.

3. Itaque oculos circumtulit & diſpexit; an non promptior Excerpta digerendi, & illa poſtea, quam minimâ temporis jacturâ requirendi, repetendi, recognoſcendi & ad uſum transfeerndi ratio ininiri poſſet. Cogitabat Excerpta vel Indices Auctorum & materiarum, vocabulorum & phraſium, eſſe veluti ſylvam, unde excinderentur arbores, quæ poſtea ſerrâ diſſecarentur & aſciâ polirentur, atque ad ædificium aptarentur; nec quæri quo ordine in ſylva conſtitiſſent, ſed ſufficere, ſi illis Architectus uti ad ſtructuram, iisque ſuum ordinem, & aptam diſpoſitionem in opere asſignare poſſet. Nec ſanè requiritur, ut arbores, quarum trunci pro trabibus accommodari turri debent, loco ab illis diverſo conſiſtant, quæ materiam templi columnis aut tecto præſtant; ſatis eſt, ſi ſylva nullis paludibus interciſa, aut difficultatibus & impedimentis obſeſſa; planum & liberum habeat aditum, arboresque quærendas, ſine morâ, ſine magnis laboribus offerat.

4. Itaque cum vidiſſet, nullam in requirendis rebus & verbis, viam

eſſe

eſſe expeditiorã, quam Literarũ Alphabeti ſeriẽ, cuj9 ductu ex Gloſſariis,
Lexicis libris & Concordantiis, ut vocant, momento ferè temporis quæ-
vis vocabula repetuntur; ſtatuit diſſectis & inſtituto ſuo accommodatis
quibusdam Adverſariorum libellis, in quos artificioſè præmiſſa medi-
tatione, & paginarum inquiſitione, omnia poſſent referri, literarum
ordinem in excerpendo obſervare.

5. Neque ignorabat, hac excerpendi ratione, ante tot ſæcula, uſum
eſſe Plinium Hiſtoriæ Mundi ſive Naturalis ſcriptorem, *in quo Joſephus
Scaliger ſæpiſſimè hunc ordinem obſervaſſe ſe ſcribit.* Sciebat porrò,
Eundem illum Joſ. Juſtũ Scaligerum, in quosdam Auctores iſtiusmodi
Indices concinnâſſe; & Paſſeratium hoc excerpendi genere ad illam
commentandi diſſerendique facilitatem proceſſiſſe, multosque Cele-
berrimos, Nobiliſſimos, Doctiſſimosque Viros, Juſtum Lipſium & in-
numeros alios, tectius quidem, ſed planè illâ ſerie alphabeticâ, ſua Ad-
verſaria digeſſiſſe.

6. Imò quosdam palam, illam legendi & excerpendi ex Auctoribus
materiasque ex illis petitas digerendi rationem commendâſſe, atque
in illis operibus conficiendis, quamvis diverſo ſucceſſu, fuiſſe occupa-
tos: nominatim Joh. Freinshemium, cujus præfationem C. Tacito
præmiſſam, ſuper eâ relegere, operæ pretium eſt.

7. Quidam verò ſatis eſſe putârunt, ſi omnes auctoris voces ordine li-
terario diſpoſitas, repræſentarent & veluti annumerarent. Cujus qui-
dem rationis, duo cenſebat eſt vitia. Primum quod multa inutilia
chartis illeverint. ut cum indicârunt (quod pro exemplo ſit,) quoties *et*
vel *non* in auctote occurreret. Alterum, quod, licet voces ſimplices
darent, non tamen eas cum aliis conjunctas exhiberent, ut perſpici
phraſeos elegantia, vis & ſignificatio diverſa poſſet: materiam potius
quam formam exhibentes. Ne quid dicam, de ſententiis Ethicis, Poli-
ticis, aut aliis rerum graviorum ponderibus, quæ ex hujuscemodi Indi-
cibus erui minimè queunt.

8. Talis eſt (ut Langii ad Martialem & Aliorem ad alios Autores
omittam,) Index H. Tuſcanellæ in Catullum, Tibullum & Proper-
tium. Paulò hoc melior eſt, ille Nicolai Erythræi in Virgilium, ſed ſu-
perflua retinens, & in poſterioribus tantùm literis pleniores locutio-

nes exhibens. Hunc imitatus in Horatiano Indice videtur Thomas Trecerus. Nizolium diceres aſpectu primo, plenius & accuratius, ſimilem laborem in excerpendo Cicerone inſtituiſſe: at penitius Ejus Lexicon inſpicienti apparebit, non tantum rerum & materiarum in Cicerone occurrentium, ipſum exiguam habuiſſe curam, ſed innumeras inſuper elegantias & verborum ſingulares ſignificationes, ejus induſtriam effugiſſe. Frobenii Penu Tullianum, ſuam habet laudem.

9. Plurimum in hoc ſtudii genere elaborârunt: Pareus, Berneggerus, EjusqueDiſcipuli Freinshemius, Boeclerus, Scefferus, Kockert 9, aliiq; Clarisſimi Viri, qui proximis annis Humaniorū Literarū per Germaniæ decus & vigorem cum Aliis ſuſtentârunt. Itaque ipſorum induſtriæ debemus, quod ex Plauto, Terentio, Lucretio, C. Nepote, Vellejo Paterculo, Tacito, Suetonio, Floro, promptius ſententiæ, loquendi formulæ, hiſtoriæ, antiquitates, aliaque notatu digna repeti poſſint.

10. At plerique illorum indicum, à Viris illis Doctis correcti quidem, & quibusdam in locis illuſtrati; at non per omnia compoſiti & conſcripti; ſed Studioſorum potius curæ & labori interdum commisſi videntur; ideoque multis in locis mutili & manci lucem publicam ſubierunt.

11. Nihil dixit Pares Meus, de paucis aliis, ut illo Petroniano, auſpiciis Illuſtrisſimi Viri Domini Gonſalii de Salas Magnatis Hiſpaniæ, concinnato: qui plurimis diligentia & ubertate laudem præripuit. Tacuit de Lucanæo Pulmanni, deque Flacciano Alardi indice, aliisque ſimilibus. Neque de Concordantiis (ut vocant) aut concordantibus SACRÆ SCRIPTURÆ indicibus, verbum ullum addidit.

12. Cenſuit autem operæ pretium eſſe, iterum atque aliis oculis denuo legere, conſtituere, recognoſcere & excerpere Auctores Bonos & Veteres, Latinos & Græcos, ex quibus & Latini Græcique ſermonis copia, & rerum apparatus, ad inſtituendas diſſertationes & ſcriptiones, Antiquarias, Hiſtoricas, Ethicas, Politicas, Criticas, aliasque erui poſſet.

13. Itaque cum Auctorum indicatorum indices evulgati, (licet non tales, quales eſſe debebant) quodammodo ſcribentium & commentantium uſibus inſerviant, putavit primum ſibi in manus ſumendos eſſe illos

los ſceiprores, in quos iſtiusmodi regeſta memoriæ ſubſidia, & reperto-ria non extarent, & Deo favente, intenſis laboribus, & ſumptibus vix privato homini ſufferendis, illos Autores, (quorum n. 18. Catalogus ſubjunctus eſt,) in *Indices* accuratos *rerum & verborum*, (ſive malis appellare *concordantias*) redegit.

14. Eosdem verò ita inſtituit, diſpoſuit, ordinavit, ut ex illis Viri Eruditi & Eruditionem amantes, quibus tales libros legere, aut per occupationes aut diverſa ſtudia non vacat, pro arbitrio, ad indicianam literarum & ſyllabarum priorum (ut in Lexicis fieri ſolet,) Hiſtorias, Antiquitates, Ritus; Materias Ethicas, Politicasque: imò pro Auctorum argumento & contentis; Theologicas, Juridicas, Medicas, Grammaticas aliasve, quæ ex illis Scriptoribus excerpi potuerunt, eruere & repetere queant. Quod ſanè maximo iis in ſcribendo & dicendo eſſe adjumento poteſt.

15. Porrò eum Aulici Miniſtri, Conſiliarii & Legati Principum, aliisque Excellentes & Illuſtres Viri, ob res quotidiè agendas, & occupationes plurimas, nihil minus quam legere auctores posſint; effecit, ut hac ratione, percommodè, ipſis tales indices, tanquam ſervi nomenclatores occurrerent, ſuccurrentque: & res quascunque ex illis ſcriptoribus repetendas promptisſimé indicarent: qui iſtis indicibus, non aliter uti poterunt, ac ſi Auctores ipſos legiſſent.

16. Utinam hæc ſtudiorum & memoriæ ſubſidia, hæc latinè potisſimum ſcribendi, commentandi & diſſerendi utilia inſtrumenta: præcipuaque vitæ Borgheſianæ exercitia, hic XXX. ferè annorum labor: Principi Literarum Patrono aut magno Mæcenati innoteſceret! Facta deſcribendi omnia facultate, hæc communicare paratus ſit; ſi (1.) caveatur, de illis nunquam per typos vulgandis, ne omnibus promiſcuè Patris mei benè meriti labores ſerviant, ad uſum & abuſum, aut ignaviæ nonnullis hac ratione pădatur janua, (2.) deinde ut pro ipſâ communicatione, præmium aut honorarium laboribus & impenſisſimis paternis ſumptibus dignum Hæredibus obtingat.

17. Tum ipſe quoque, liberalitate publica aut privata invitatus, in aliis, qui adhuc reſtant, Latinis Auctoribus, ingreſſus annum ætatis

 tri-

trigeſimum, Divino Afflatu, ſimilia tentabo, ut ſtudia reddam faciliora: idq; præſertim præſtare commodi conabor, ut poſthac meditationi potius, quam lectioni tædioſæ & nimium temporis requirenti, incumbere Romanæ Eruditionis Amatores poſſint: utque in medio poſitis iis, quæ Veteres invenerunt, quid Poſteri illis addere debeant rectius conſtet. Sequitur

18. Catalogus Auctorum Veterum latinorum, quorum accuratos Indices tam rerum quam verborum abſolutos reliquit:

V. C. Joachimus Borgheſius Profeſſor Publicus.

Philoſophi, Philologi, Hiſtorici & Oratores.

1. Cato Ejusque fragmenta.
2. Salluſtius cum ſuis fragminibus.
3. Ciceronis opera.
4. Varronis opera quæ extant.
5. Titus Livius.
6. Julii Cæſaris Commentarii.
7. Cornelius Celſus.
8. Valerius Maximus.
9. Seneca Philoſophus Rhetor & Tragicus.
10. Quintiliani Inſtitutiones Oratoriæ.
11. Plinii Hiſtoria Naturæ.
12. Plinii Junioris Epiſtolæ & Panegyricus.
13. Frontini Opera.
14. Taciti vel alterius auctoris Dialogus de Corruptâ Eloquentiâ.
15. Rhetores antiqui; Rutilius Lupus, A. Romanus, C Fortunatius, M. Victorinus, aliique junctim a Pithæo editi Pariſiis A. C. 1599. in 4.
16. Q. Curtius.
17. Juſtinus.
18. A. Gellius, vel ſi mavis, Agellius.
19. Cenſorinus de die Natali.
20. Solinus.

21.

21. Apulejus.
22. Panegyriſtæ; L. Pacatus, Nazarius, Mamertinus, Eumenius Rhetor aliique.
23. Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores: Spartianus. Capitolinus, Lampridius, Gallicanus, Pollio, & Vopiſcus.
24. Julii Firmici Matheſeων. libri VIII.
25. Macrobius.
26. Vegetius de re militari.
27. Vegetius de Mulomedicinâ.
28. Theod. Priſcianus vel Octavius Horatianus Medicus.
29. Ampelius à Claudio Salmaſio editus.
30. Aurelius Victor de Viris Illuſtribus & Cæſaribus.
31. Auctores vitarum Terentii, Horatii, Virgilii, Juvenalis, Perſii, Lucani, Plinii, & aliorum.
32. Auctores Declamationum: in Ciceronem, item in Saluſtium & Catilinam.
33. Anonymus de re bellica à Scriverio editus cum Vegetio.
34. Altercatio Hadriani Imperatoris & Epicteti Philoſophi, Edita à Wolfio, cum Arriani diſſertationibus in Epictetum.
35. Dictys Cretenſis.
36. Martianus Capella de nuptiis Philologiæ & Mercurii, ſeu de 7. artibus.

Poetæ.

37. Fragmenta Veterum Poetarum, ab Heinrico Stephano edita.
38. Catullus.
39. Tibullus.
40. Propertius.
41. Horatius.
42. Ovidius.
43. Silius Italicus.
44. Martialis.
45. Papinius Statius.
46. Juvenalis.

47. Perſius.
48. Claudianus.
49. Auſonius.
50. Prudentius.

Scriptores Eccleſiaſtici aliàs Eccleſiæ Patres dicti, ſive Veteris Latinæ Eccleſiæ Doctores.

51. Hieronymi Epiſtolæ, Tractatus, & Præfationes.
52. Lactantius.
53. Arnobius.
54. Minutius Felix.
55. Sulpitius Severus.
56. Vincentius Lirinenſis &
57. Sidonius Apollinaris.

Itidem:

58. Saluſtius de Grammaticis & Rhetoribus.
59. Plutarchus.
60. Dionyſius Halicarnaſſeus.
61. Hermogenes Rhetor.
62. Aphthonius.
63. Aſconius Pedianus &
64. Lucanus.
65. Eccleſiaſtici Scriptores medii ævi illuſtrati.
66. Index Græcus Varia continens.
67. Index in Varios libros Philologicos.

Seorſim quoque reliquit Parens Meus ingens Repertorium Politicum aliquot vaſtis in folio Voluminibus conſtans, ſelectiſſimarum materiarum, quæ ab Auctoribus Antiquis & Recentioribus tractantur: unde facilè ſecundum ordinem literarum quævis occurrentes materiæ repeti & illuſtrari poſſunt, inſpectis fontibus ex quibus illæ hauſtæ depromptæque ſunt. Habes brevem enarrationem manuſcriptorum Patris mei Amici tui.

Vale & bene in CHRISTO vive & age, faveque

Rudolfo Borgheſio

Z
1064. 11
99 957628

Digitized by Google